


AN. XVI. - N. 98

MM. APRILI ET MAJO

AN. D. MCMXLVI



PALAEASTRA LATINA

SUMMARIUM

Exercitationes Scholares,	
Ut latine scribamus et loquamur	
que veterum Inscriptio-	
nem utilitas	CIPROTTI
In Aloisii Canals memoriam	ORTEGA
In memoriam Aloisii Canals,	MESA
Commercium epistulare	MOLINA, MIR, ORTEGA
Comentario al c. VI de la Ilíada,	RUIZ
Nova et Vetera,	MIR
Diana	GIRAL
Epistolia soluta	
Qui olet pauperem, pessime	
olet,	PASQUETTI
Palaestra exercitatoria	LÓPEZ
Bibliographia,	JIMÉNEZ, TRISTANIUS
Compositiones vertendae	
Curiosa et Jocosa,	PELÁEZ GARCÍA-CATALA

Ordinarii et Superiorum permissu

Exercitationes Scholares

DE LITTERARUM LATINARUM ORIGINE (1)

Cum populi sero civilem cultum assequantur, tum admodum sero bonarum artium disciplinis excoluntur. Nam primo sese armis confirmare; deinde, **externis depulsis periculis, et hostibus metu injecto**, se ad curam rerum domesticarum revocare, optime civitatem constituere, jura atque officia uniuscujusque describere, rei publicae utilitatem cum civium commodis et rationibus conjungere student. Postea vero, cum incolumitati suae satis consuluerint (2), tum denique ad studia ingenuorum artium incenduntur, quas ex nationibus in quibus maxime vigent adsciscunt. Sed haec (3), longa multorumque annorum res est. Itaque mirum non est, quin gentis fere annis ab Urbe condita, aliquod in ea lumen liberalium artium apparere.

ANTONIUS FRADERA, C. M. P., (*V. C. alumnus*)

Barbastri.

NOTULES. (1) Cfr. PALAESTRA LATINA n. 95 p. 137. — (2) In correlatione *cum... tum...* (*tum... cum...*), si verbum adsit in utraque oratione distinctum, adhiberi solet conjunctivum in illa quae

cum particula *cum* incipit. Secus, indicativum usurpabis. — (3) *Haec* (ex attractione praedictiva) magis mihi arridet quam *hoc*. Nonne etiam tibi, Antoni? Cetera belle.

EL AUTOMÓVIL Y LA TORTUGA

*Es propio del hombre sabio
usar con tino y medida
de los inventos recientes
y útiles para la vida.
Muy veloz un automóvil
corría por las floridas
riberas del río Ofando;
mas, a un descuido del guía,
en un impulso imprevisto,
cae en la profunda sima.
Miseramente se estrella
y las llamas, producidas
por la fuerza del vapor
derramado en la caída,
al automóvil se adhieren*

*presagiándole su ruina.
Todos los viajeros mueren;
pero el automóvil mira,
mientras arde, no muy lejos,
en la pradera vecina,
a una tortuga que buye
en su lentitud aprisa,
un paraje más seguro
buscando para su vida.
Al verla, nuestro automóvil
con estas voces le grita:
¡Oh! Feliz mil veces sea
tu lentitud tan mal quista;
yo, por mi velocidad,
así termino mis días!*

SANTIAGO GARCÍA, C. M. P., (*V. C. de Humanidades*)

Barbastro.

PALAESTRA LATINA

Premium subnotationis annuac, solutione antelata, est 15 pescatarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Premium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 104

Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum inscriptionum utilitas

PALAESTRA LATINA jam inde a primo ortu praeconium latinitatis exstitit ejusque collaboratores indefessi adlaborarunt ut adulescentes scribere latine atque colloqui ediscerent. Quod ut assequeretur et nova protulit vocabula non ex iis tantum quae classici scriptores adhibuerunt, sed et ex illis quae ad sermonem familiarem pertinent et ad novos rerum ac linguarum usus accommodantur. Cum vero mentem nostram Dnus. PIUS CIPROTTI omnino ampietetur, ejus scriptio nem libentissime edimus, cuius puram latinitatem demiramus ac laudamus atque argumenta penitus probamus. (1).

1. — Cum bene latine scribendi ac dicendi laus et gloria vere meritoque propria Italiae nostrae olim haberetur, nostrisque majoribus ceterae omnes nationes latinæ linguae elegantia facile decederent, eam nunc ita obsoleuisse paene videmus, vix ut in tota Italia pauci quidam, qui eam sustineant, jam reperiantur. Cujus rei causam si quaeramus, statim perspicimus in hac re vetus exercitationis genus et antiquam juventutis instituendae rationem non tantum intermissam jam pridem, sed oblivione nonnumquam obrutam esse et sepultam.

Nunc autem bono fato, ipso in Italia studiis praefecto auctore atque impulsore, Romanorum Studiorum Instituto assiduam operam dante, multorum in votis est, multis quoque non voto tantum sed exemplo adlaborantibus, ut duo praesertim in adulescentibus latine instituendis curentur: ut cotidiani usus res polite ac plane latino sermone exprimere calleant, et ut latine colloqui non scribere tantum discant.

Qua de re tamen nonnulli procul a recta via magistri videntur: qui magis enituntur ut elegantissimis locutionibus subtilia mentis cogitata vel poëtica figura vel ornatas rerum descriptiones tirones significare valeant, quam ea praesertim instituta, res, notiones, quae nostrae aetatis propria sint vel esse videantur, ea ratione latinis litteris illustrent, qua forte quilibet e romano populo, si praesenti tempore viveret, uteretur.

Quidam enim, quibus «sordeat solidum eloquium quia non est inflatum» (S. AUGUSTIN. *De catech. rud.* 9, 13, 3), speciosa utilibus anteponentes, nihil praeter

Cfr. *Per lo studio et l'uso del latino.* an. IV, n. 2, p. 69-75.

poëticas fabulas, philosophiae vel rhetoricae praecepta, superfluentis eloquentiae exempla quaedam, in studiosae juventutis exercitationibus fere docenda putant. Quidam autem, praeter Ciceronem, Caesarem, Livium, et, ex poëtis, Catullum, Vergilium, Lucretium, Horatium, Ovidium, ceteros omnes fere barbaros existimant, nec dignos habent in quibus cognoscendis ullum ponatur studium. Immo eo pervenit aliquando praejudicata nonnullorum opinio, ut existimant bene dicendi laudem in eo fere esse positam, ut sedulo caveas, ne quid dicas quod non ante Cicero dixerit, ne ullo vocabulo, ulla utaris locutione, quam non ex Cicerone sumpseris (quasi ex omnibus ciceronianis locutionibus stultissimae componi non possint orationes); quibus, dum quidquid apud illum reperiatur, dicendi legem putant, accidit «ut deteriora imitentur (id enim est facilius), ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur» (QUINTILIAN. *Inst. Orat.* 10, 1, 25).

Qui omnes, cum aetate nostra latinae linguae resurrectionem fovere cuperent, ita ut plures ad aliqualem latine scribendi dicendique facultatem pervenire possent, sermonis elegantiam fucato splendore et adulterina eloquentiae specie contaminarunt, inflatum quoddam et tumidum saepius pervulgantes genus elocutionis; exemplo suo ceteros averterunt a recta illa et simplici, in qua praecipua optimorum scriptorum laus est, oratione; ampla et sententiarum gravitate et majestate verborum illam proposuerunt «eloquentiam, quae cursu magno sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent» (CIC. *Orat.* 28, 97), sermonem purum et latinum neglegentes, dilucidamque et planam dictiōnēm nihil insolens aut ineptum continentem.

Ex quo conficitur ut saepe studiosa juventus, latina scripta dum legunt, recitant, componunt, elegantioribus locutionibus, ornatissimis verborum circuitibus, venustisque metaphoris imbuti, «nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident... sed mellitos verborum globulos, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa» (PETRON., *Satyr.* 1).

Ad quae vitanda incommoda vel minuenda saltem, oportet ut crebrius, quam hactenus factum sit, ea quoque latinorum monumentorum loca tironibus praebeantur, quae de Romanorum vita et moribus, de domesticis fere rebus ac familiaribus, de vulgaribus ac privatis negotiis, non tantum de gravibus disputationibus agant; ut illa scripta jugiter latinae linguae studiosis pervolutanda, manibus, oculis, voce conterenda, ad verbum, si fieri possit, ediscenda tradantur, quae ad imitationem sui evocent sine desperatione vincendi: «deterret enim qui imitandi cupiditatem fecit, spem abstulit» (SENECA, *Epist.* 16, 5, 12). Inter quae utilissima sunt scripta «comicorum poëtarum, apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud cotidiani dissimile sermonis» (CICER., *Orat.* 20, 67). Ex illis ceterisquis omnibus latinis scriptis tirones sedula cura ea depromere studeant, recensere diligenter atque colligere, locutiones et verba quibus apte in latinam linguam converti possit cotidianus noster sermo, quibus significanter designare liceat res ac notiones recentioris aetatis proprias: plura utique invenient, quam prima fronte putaverint.

Magnus labor, dixerit aliquis. Ultro fateor: sed magnum est, quod hoc studio

petitur. Nec quemquam vel debilitet laboris metus, vel a suscepto studio ingenii mobilitas avocet: *nihil enim sine magno vita labore dedit mortalibus* (HOR., *Sat.* 1, 9, 59).

Esto igitur orationis nostrae genus ad eorum exemplar, qui antiquitati quoque ipsi principes visi sunt, quam maxime potuerimus, conformemus; ex aliis quoque tamen aptissima ac venustissima quaeque carpamus, imitarique conemur; quae autem nullibi invenimus, ipsi, qua optima potuerimus ratione, efficiamus.

Si enim, quamvis jam «lingua Catonis et Enni sermonem patrium ditaverit et nova rerum nomina protulerit», nihilominus «licuit semperque licebit signatum praesente nota producere nomen» (HORAT., *Epist.* 2, 3, 56, 59); si Lucretium non fallit «Grajorum obscura reperta difficile illustrare latinis versibus esse, multa novis verbis praesertim cum sit agendum propter egestatem linguae et rerum novitatem» (*De rer. nat.* 1, 136-139); si Cicero ipse concedi postulat «ut in rebus inusitatis... utamur verbis interdum inauditis: ...aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda» (*Acad. poster.* 1, 6-7, 24-25), si denique Seneca scribere potuit: «quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis quam hodierno die intellexi: mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent nec haberent» (*Epist.* 58, 1) ideoque graece sibi exprimere licere contendebat ea quae nullo modo latine posset; quod, inquam, latini ipsi et fieri posse docuerunt, et fecerunt, quanto id nobis magis concedendum est, qui plurima nunc primum latine tractare conamur?

Non tamen idcirco quis putet nos in ornate latine loquendi vel scribendi ratione studium ponendum negare. Sed aliud est latinam eloquentiam vel poeticae artem colere velle, aliud latina lingua uti ad scripta de variis artibus ac disciplinis plenius inter gentes evulgandas vel ad colloquendum. Quis enim umquam a grauiorum artium doctoribus, qui non latina sed vulgari tantum quam dicunt, lingua uti solent, ornatam elegantem compositam orationem adeo postulaverit, ut iis decentibus vel scribentibus si sine ubertate, copia, venustate, incompte, jejune, exiliter disputaverint, vel si quid exciderit parum expolitum (non quia id minime corrigendum sit) continuo peccare eos dicat? immo vero, quis umquam negaverit saepe in loquendo non solum impune peccare licere, verum etiam qui magnam diligentiam in eo ponat ut ne peccet, eo ipso peccare videri? *in vitium dicit culpae fuga, si caret arte* (HOR. *Epist.* 2, 3, 31).

Nec enim Cicero ipse eadem colloquebatur ratione vel epistulas amicis scribebat, qua orationes recitabat, vel de rhetorics et philosophicis praexceptis scripto disputare solebat; nec, si ad Plinii, Taciti, Suetonii, Ambrosii, Hieronymi tempora vitam producere potuisset, et romanam linguam multis vocibus eorum opera eleganter auctam et locupletatam vidisset, illis vocabulis ac locutionibus non cupide usurus credendus est, aut minimam scriptoribus illis gratiam habiturus qui romanam doctrinam non modo copia rerum auxerint, sed etiam verborum.

Pius CIPROTTI

(*Ad proximum numerum*)



In Aloisii Canals memoriam

*Solve inodoratos crines, Elegeia, solve
Vultum turgidulis luminibusque riga.
Pallida mors tetigit Aloisi limina cari,
Perpetuusque illum nunc premit ipse sopor,
Qui tacito veniens passu juvenesque senesque
Vita sic spoliat, adsidueque minat.
A! mibi cum venit tam tristis nuntia fati
Alma PALAESTRA, dolor membra gravis tenuit.
Vix lacrimas potui fletus sedare dolore,
Atque oculos madidos tergere, amice, manu!
Tu mibi namque comes, quamvis incognitus, audi,
Pectore sollicito lectus, in ore frequens.
Carmina plus oculis nostris tua semper amabam,
Carmina fusa tua plena melode lyra:
Tuque triumphalem lusisti Virginis almo
Cordi olim cantum, cultor amansque Dei.
Athletas, stadium, currus ut Pindarus olim,
Carmine prompsisti, non metuente dies!
Exornata tuis salibus quam pagina gaudet,
Utque lepore fruor pensus ab ore tuo!
At nunc cuncta silent, misso jam corpore in urnam,
Et jacet indigno chorda relicta loco!
Heu, vates, tecum fugiunt solacia nobis,
Diffugiuntque soni semper in orbe lyrael
Flebilis o nobis, quo non mibi carior alter,
At tibi praecipue, culta PALAESTRA mea,
Sed puto... diva pium juvenem, nunc brachia pandens,
In caelum rapuit versibus aucta Parens,
Et blande ad pectus natum premit, atque lacertos
Defessos Virgo caelica tingit aqua!
In caelis etiam celebret tua Musa Parentem,
Tempora quae nitidis cinget amata rosis,
Et si quid saeculo vatis praeagia possunt:
Fama operis vivet tempus in omne tu!*

Alphonsus ORTEGA, O. F. M.

*XII Kal. Apriles, In Collegio Seraphico oppidi
Cebeginensis.*

In memoriam Aloisii Canals, C. M. F.

Aloisium Canals, adulescentem desideratissimum, discipulum habui, vivum et dilexi et tacita quadam admiratione sum prosecutus, nunc mortuum lugeo, perennique memoria retinebo.

Annum unum, apud Collegium Alabonae, in mea schola auditor fuit hispanis litteris excolendus, eoque tantum anno, multarum rerum cognitionem hausit. Fuit enim adulescens eo praeditus ingenio quod latini autores *versatile* dicebant, nam sic pariter ad omnes disciplinas sese versabat ut Aloisium ad id unum diceret natum quodecumque ille ageret. Artem musicam coluit, mathēsi summopere delectabatur, ab ineunte aetate cum musis latinis constitutum habuit amorem, carmen graecum aliquando condidit, hispanosque non paucos versus, eo, quo flagrabat, studio in litteris proficiendi, meo stilo emendandos vel expungendos submisit.

Brevi: plurimos habui discipulos eosque mente sagaci, ingenio acuto; pace vero eorum, quos quidem ex intimo sensu diligo, ingenio Aloisii nostri tantum tribuerem ut paucos illi compararem, anteponerem illi neminem. Sic Deus ornavit Aloisium; sic planis verbis confitendum!

Postquam vero ille ad novitiatum perrexit, magno certe loci, non quidem amoris, intervallo disjuncti sumus. Testes afferam illius epistulas crebras longasque, cum humanitatis sale sparsas, tum benevolentiae notis suavissimas. Litterae animi veluti speculum dicuntur; eae sunt ergo Aloisii litterae ut imaginem reddant animi certe magni ad pura, sancta, sublimia nati. Cumque ad altiora, quam qui maxime, natus esset, hac forte de causa, Deus, qui eum tantis naturae dotibus cumulaverat, e misero isto mundo celeriter arripendum decrevit.

Tanto fratre destitutum me vix confirmare possum, lamentis non parco, litteras cultore quodam amantissimo orbatas, PALAESTRAMQUE LATINAM hac Aloisii morte graviter adfectam deploro.

Valeas ergo, frater carissime et desideratissime; una cum Joveo, conditore nostro, PALAESTRAM foveas, et vivas semper cum Domino Jesu, memor mei!

CAROLUS E. MESA, C. M. F.

Commercium epistulare

M. Molina P. Josepho Mir C. M. F. salutem.

Crebrius, carissime, cogitationi subit Aloisius noster Canals, tuus olim praestantior alumnus, meus laborum ac litterarum socius, utriusque gratissimus in Corde Matris frater atque sodalis, quo praepropria morte Cervariae orbati sumus. Ex litteris tuis intellexi quomodo affectus es; nec aliter ego. In Dei autem acquiescamus voluntate; Dominus enim dedit, Ipse abstulit.

Et tibi et tuae PALAESTRAE, frugum, quos degustare coepimus, non levis spes erat, in primis cum praeter ceteras disciplinas, humaniorum litterarum frequens atque indefessus cultor exsisterit. Probatus vates latinus, Horatio Vergilioque imbutus, Vergilio vero praecipue, cui mente similis et par erat, et cuius nobilioribus hexametris ingenuus Aloisii animus delectabatur. Quamquam celer versus fundebat, neque tamen segnis agitabat limam studio perfectionis arreptus, adeo ut novissima ejus carmina nullam fere lituram ferrent.

Aloisii nostri tibi servo poēmata, quibus forte, leōores PALAESTRAE, editis, jucunde perfruantur. «Heu miserande puer, si quae fata aspera rumpas...» cum Vergilio clamarem. Nequidem vero miserandus, qui et divina beatitudine et pulchritudine potitur. Haec erant quae de nostro Aloisio mihi succurrebant.

Saluta mihi sodales. Etiam atque etiam vale.

Celsonae, XIV Kal. April. a. MCMXLVI.

Josephus M.^a Mir Mariano Molinae, socio carissimo, sal.

Litterae tuae animi dolorem ac nondum obductam cicatricem, ob praematuram Aloisii nostri mortem, refrierunt. Alumnum enim recordor semper ad laborem promptum et alacrem, nova semper exquirerentem, carmina Horatii atque Vergilii in primis continuo recolentem ac meditantem: ex classicis enim scriptoribus exquisitam percipiebat voluptatem. Illum non lectorem, sed quasi Vergilii helluonem, dixerim, cum adolescentulus —decimum septimum agens annum— Vergilii opera avide perlegerit atque plurima Horatii carmina. Ex quorum scriptorum mira arte et elegantia —cum assidua Tullii lectione conjuncta — sanum atque limatum assecutus est illud litterarum judicium, quo de soluta atque ligata oratione facile disserebat.

Aloisii carmina diligenter servate, quaedam enim tempore edemus... Et vos, o adolescentes, fratrem imitamini, et alii, divino quasi musarum afflato acti, novi recentesque socio cadenti strenue succedite. Quicumque litteras amatis latinas plurimum valete. — Barbastro, X Kal. Apriles a. 1946.

Alphonsus Ortega O. F. M. Rdo. P. Josepho Mir S. P.

Jam tum ab anno superiore saepe in mentem venit ad te litteras mittere, nescio tamen quo pacto usque ad hunc diem commercium epistulare morari sum coactus. Nunc autem immatura mors insignis palaestritae et probati, ut bene dicis, poētae Aloisii Canals, ut morae jam abrumpantur, me impulit. Magna quidem tristitia sum affectus, cum, PALAESTRA accepta, mihi casus lamentabilis est denuntiatus; quem etiam atque etiam lugeo. Mihi namque ille et scriptor et vates amoenissimus erat, ejusque scripta libentissime, ut ita dicam, devorabam. Quis enim illum mirificum sertum poēticum ab eo in Deiparae honore deductum, quis vehemens ad athletas carmen —sine adsentatione dicam— lyrae Horatii aemulum, quis denique tot paginas ejus facetiis ornatas oblivisci potest? Vere cum vos, tum nos egregium scriptorem amisimus! Utinam Virgo, quam mirifice celebravit, eum in deliciis Patris secum habeat! Quam ob rem ut mei erga hunc filium Purissimi Cordis Mariae et admiratio et amor eluceat, hoc tibi «carmen elegiacum» mitto; quod ut in PALAESTRA edas, si placet, rogo.

Haec tamen significo: in versibus tertio et sexto syllabas tetigīt, spoliāt per diastolen produxi, quod plerumque fit in Vergilio et aliis.

Item a te quaero quid tibi in operis dedicatione videatur: accusativus addita praepositione *in*, an dativus adhibendus? Me hac dubitatione implicitum eripe, amabo, meque vobis addictissimum et PALAESTRAE avidissimum lectorum habete. Vale.

In Collegio Seraphico oppidi Ceheginensis alumnus. XII Kal. apriles.

229. πολλοὶ δ’ αὖ], verso paralelo con 227.
230. ἐπαρείψομεν], «cambiemos»; subj. con vocal temática breve.
233. λαβέτην], «se dieron las manos»; el dual λαβέτην junto al plur. πιστώσαντο, «se juraron o prometieron fidelidad», de πιστόμαι (πίστεις ἀλλήλοις ἔδοσαν (Hesych).
234. ἐλέλεπο φρένας], «le quitó la inteligencia», le cegó; todo modo de obrar extraño es atribuido a un influjo de los dioses; cf. T 137, P 469-470, I 377. Este juicio del poeta sobre la necesidad de Glauco y el buen negocio de Diómedes en el cambio de las armas fué objeto de escándalo para los antiguos. Para los modernos (WILAMOWITZ, *Homer und die Ilias* p. 190) contiene una alusión a la situación política ventajosa de los colonos griegos respecto de algún pueblo aborigen de la costa de Asia Menor, los Licios mismos. La epopeya está sin duda penetrada de actualidad, que para nosotros es ya indiscernible.
236. ἐκατόμβοια], «que valían cien bueyes»; el poeta no menciona la moneda, que era indudablemente usual en su tiempo; es este uno de tantos rasgos arcaizantes de la poesía homérica, que evita expresamente lo actual para transportar al oyente a un mundo lejano. En Esparta, sin embargo, entre el siglo VIII y VII aún paga el Estado en bueyes una casa.
- 237 - 311. *Encuentro de Héctor con su madre. Sacrificio a la diosa Atena.*
237. ώς], «así que»; sentido temporal, único caso este pasaje en que se usa con verbos no de percepción. — φυγόν], Var. πύργον. De la encina se habla en E 693; era una encina consagrada a Zeus, próxima a las puertas Esceas (de la izquierda) de la ciudad.
238. θεόν], «corrían», venían corriendo; el impf. denota la sucesión en que iba la gente afuyendo a Héctor.
239. εἰρόμεναι], «preguntando»; tema de pres., de εἴρομαι (*ερομαι) y ἐρέομαι aor. γρόμην, etc., emparentado con ἐρεείνω (145) ἐρευνάω, ἐρωτάω raíz i. e. ereu-, distinta del grupo de εἰρω «decir», fut. ἐρέω (at. ἐρῶ) raíz *uer- lat. uer-b-um. — εταῖς], «parientes».
241. ἔξειγες], «sucesivamente»; Héctor manda a las troyanas que rueguen a los dioses, según aquéllas se van presentando; hay que referir, por tanto, ἔξειγες a ἀνώγειν. — ἐφῆπτο], plusq. pf. de ἐφάπτομαι, pass. = ἐπίχειμαι; SCHOL.: πολλοὶ αὐτῶν ἐν κακῷσι εἶγένοντο; cf. B 15 Τρώεσι δὲ κύδε' ἐφῆπται.
243. ξεστῆς' αἰδούσησι], «de pulidos pórticos»; αἰδούσα, etim. de αἰδω «quemar», como si dijera «quemada por el sol»; cf. lat. *aedes*, *aestus*. La αἰδούσα era «porticus, locus munitus tefto, columnis pilisve suspenso, cetera apertus, domique sive muro contiguus». (L. H.)
244. πεντήκοντα... θάλαμοι], «cincuenta habitaciones», para otros tantos yernos de Príamo; Héctor y Paris, en cambio, tienen su propia casa, cf. 313, 370, 377

etc. Atestiguásenos aquí un régimen de familia patriarcal en que el γένος «familia» está formado por todos los que proceden de un tronco común.

245. δεδιμημένοι], «edificadas», ptc. de pf. de δέμω ($\gt\delta\delta\mu\omega$); para el alargamiento διηγ- cf. εὐδιμητος, θεοδιμητος, μεσοδιηγη, etc.

246. μνέστρις], «legítimas»; de μνάομαι «pedir por mujer», de donde μνηστή ἄλοχος = *uxor legitima*. El mismo sentido αἰδοῖος en 250.

247. χουράων], «de las hijas»; de χούρη ($\chi\acute{o}\rho\eta$), muchacha, doncella. Príamo tiene una respectable familia.

248. τέρευι] = εὐσταγεῖς, «de bellos techos».

251. ἐνθα], «alií», junto a los porches. — ἡπιόδωρος], «benigna», dulce madre; SCHOL.: νῶρον παρὰ φύσεως ἔχουσα εἶναι ἡπία (= benigna).

252. ἐσάγουσα], «al entrar», cuando iba a entrar en el θάλαμος de Laódica; SCHOL. πρὸς Λαοδίκην πορευομένη ἔτυχε γαρ πρὸς αὐτὴν εἰσελθεῖν βουλομένη. — εἴδος ἀριστηγη], «la más bella»; ac. de relación.

253. ἐν... φῦ], «se le adhirió» con la mano, le tomó la mano; de ἐμφύω. — ὀνόματο], «le dió un nombre»; generalmente se aplica un título de honor al interpellado; aquí la madre emplea un nombre de cariño: τέκνον; cf. A 361-362.

254. τίπτε] = τίποτε εἰλήλουθας, pf. de ελεύθω (no hom.) fut. hom. ελεύσομαι, aor. ἥλυθον (251) pf. εἰληλουθας; para la alternancia compárese πείθω pf. πεποθα.

255. ὀυσώνυμοι], «de nombre aborrecido», de nombre funesto, cf. I' 39, N 769. — Δύσπαρις], «Paris funesto, malhadado».

256. περί], «en torno», sentido loc. — ἐνθάδε], referido a ἐλθόντα.

257. ἐλθόντα], equivale casi a ἐλθεῖν: «Tu ánimo te impulsó» ($\acute{a}n\eta\mu\epsilon\nu$) a venir aquí para...». — ἐξ ἄκρης πόλιος], «desde la ciudadela», la acrópolis; estaban los templos de Atena (88, 297), de Apolo (E 446) y de Zeus (X 172). — χεῖρας ἀνατρέψειν], gesto de oración; cf. A 351, E 174.

258. μένε], «quédate», aquí, en casa de su madre. — μελιγδέα], «dulce como la miel», dulcísimo; cf. al. *bonigüss*, que tiene valor de superlativo; de μέλι + ἡδος. — ἐνείκω], «te traiga»; del aor. ἤνεικα ($\acute{e}n-eik-a$), raíz seik- como ix-éσθαι, «llegar»; para el sentido se compendió con ἐνεγκεῖν, «traer», de distinta raíz.

260. ὀνήσεσαι], «te refrigerarás», cobrarás fuerzas; ὀνινημι es también «recreari cibu et potu»; cf. ξ 415, t. 68. — πίγεθα], «si bebes», caso de que bebas, sentido de eventualidad del subj.; la desinencia -θα está impuesta por el metro; de πίγω aor. ἔπιον.

261. δε], sentido causal; cf. 241. — κεχμηῶτι], «cansado»; ptc. de pf. de κάμινο; la forma de pf. -ώς gen. -ῶτος es propia de Homero; tal vez represente una transición, impuesta por los recitantes, entre la forma éólica -ούτες (cf. κεχληγόντες, τεταγόντες) y la jónica -ότες (MEILLET).

DANIEL RUIZ BUENO, C. M. F.

NOVA ET VETERA



PICTURA 10.^ª SCAENA II.^ª VILLA VERNO TEMPORE

1. — Quamvis plurimae fuerint hiemis voluptates alaci tamen animo veris accessum salutamus. Festivum sane spectaculum cohortem aspicere, sole occidente, mense maji!

2. — In extremo caeli circulo sol¹ leniter occidit atque purpureis radiis² campos³ perfundit. Industrius agricola⁶ terras⁴ arare festinat; arātro,⁵ cui validus equus⁷ adjungitur, sulcum⁸ imprimit, in quem semens⁹ plena manu frumentum spargit, quod flavam messem educet.

3. — Faeniseae,¹¹ falcibus instruti, pratorum herbam desecarunt; faeni cultores furcis¹² atque irpicibus faenum¹⁰ invertentes siccarunt, ac modo redeunt. Alii ante grave plaustrum, a bobus tractum, incedunt; in umeris instrumentum portant; alii, segniores, supra odoratum faenum se composuerunt.

4. — Transeuntes olitorem,¹⁶ in horto¹³ occupatum in arboribus frugiferis secundis atque pirus¹⁴ inserendis, amicis verbis salutant. Pruni¹⁵ flosculos emittunt atque in horto¹⁷ stercoreto legumina, brassicae, acetaria laetissima sunt. In angusto muro bellulus pavo¹⁸ caudam jactat ut venustrarum plumarum caudae admirationem excitet.

5. — Stabuli¹⁹ fores patent atque praesaepē et stramentum²⁰ equae dispiciimus, quam servus²⁰ a jumentis modo disjunxit. Equulus,²² exilibus cruribus adeo lepidus, matrem exsultans insequitur.

6. — Prope puteum,²⁹ vaccae ad alveum ligneum,²⁶ qui pro aquario inservit, potum accedunt. Vitulus²⁴ eam occasionem sugendi mammam arripit; bos²⁷ autem pabuli odorem olfaciens gaudens mugit atque caput, cornibus²⁸ firmiter fundatis, sublime erigit.

7. — Omnes labori incumbunt. Famula³² putei funem³¹ in manibus tenet. Aquam situla³⁰ haurit ut potum pecoribus preebeat. Ante horreum³³ quidam paleae festūcas colligit et ante domus³⁴ januam anus lanifica³⁵ tornulo et colu linum et cannābim net, ut mos fuit priscis.

8. — Villicus³⁶ operam moderatur servisque mandata jubet; cratis dentata et bidens, quae juxta canis caveam neglecta sunt, praecepit ut sub tectum referantur.

9. — Columbum,⁴¹ qui celeri volatu aufūgit, atque gallinas,⁴³ quae in gallinariū redire properant, clamoribus terret.

10. — Ante ovile⁴⁸ est senex pastor,⁴⁵ qui gregem⁴⁹ redūcit. Pedo⁴⁶ instruc-
tus —quod nunquam omittit sed neque suppārum⁴⁷ decoloratum—, vervēces,⁵⁰
oves,⁵³ agnos,⁵⁴ capras⁵¹ haedosque⁵² in ovile agit. Fidelis canis Labernus agmen
cogit atque, latratibus, segniorum diligentiam concitat.

11. — Hic vero strepitus motusque, vaccae⁵⁶ lactariae tranquillitatem non
conturbat, quae, dum mulgetur ante stabuli⁵⁸ januam, tintinnabulum⁵⁷ tinnit.

12. — Quasi existimare videtur se lac p̄aestare debere villicae,⁶⁶ quae butyrum in sino⁶¹ p̄aeparet atque exquisitos caseos conficiat, qui in axe supra
labrum⁶³ exprimuntur.

13. — Custos villicus⁶⁵ cellam lactariam⁵⁹ purgatam habet, qui vasa lactaria⁶² in magna situla, quam in manu tenet, lavit.

14. — Praegrandibus sculponeis graviter incedit, quo in tumultum conjicit gallum indicum,⁶⁸ feminas anātes,⁶⁷ anates,⁶⁶ anseres,⁶⁹ qui patulum rostrum di-
dūcunt atque magnos clamores edunt. Gallus,⁷¹ pugnacior, rutilam crīstam erigit,
caudae pennas exagit validumque clamorem emittit.

* Seu pelusiam, blusam, cfr. fasc. 93, p. 94.

15. — Mater gallina⁷⁴ cum pullis⁷⁵ in fimo rostro terram ferit. Porculus⁷ confūgit ad matrem, porcam immanem, quae prope suile est.

16. — Cuniculi⁷⁹ in loculamento herbam⁸⁰ viridem, quam villici filia affert, avide pascunt. Johannula in deliciis cuniculos habet atque cottidie, recentibus ovis⁷⁶ e gallinario conquisitis, amiculos invisit.

VOCABULARIUM

1 extremus caeli circulus, horizonte, horizon.	celeri volatu, a vuelo tendido, à tire-d'aile.
plena manu, a puñados, à pleine poignée.	46 pedum, i., n., cayado, houlette.
11 faenisēca, (-sex, sēcis), m., guadañero, fau- cheur.	50 vervex, écis, m., carnero, mouton.
faeni cultor, beneador, faneur.	agmen cogere, cerrar la marcha, fermer la mar- che.
irpex, icis, m., rastrillo, râteau.	57 tintinnabulum, i., n., esquila, clochette.
se componere, instalarse cómodamente.	61 sinum, i., n., [us, i, -us, us], mantequera, ba- ratte.
brassica, caulis, is, col, chou.	axis, is, m., tabla, planche.
acetaria, orum, n. pl., ensalada, salade.	59 cella lactaria, lechería, laiterie.
caudam jactare, explicare, bacer la rueda, faire la roue.	62 vas lactarium, sinum, i., n., cántaro de leche, pot au lait.
23 stramentum, i., n., pajaza, litière.	sculponeae, arum, f. pl., zuecos, sabot.
20 servus a jumentis, mozo de mulas, mulero, garçon d'écurie.	68 gallus indicus, pavo, dindon.
aquarium, ii, n., abrevadero, abreuvoir.	6 femina anas, pata, cane.
festuca, stipula, ae, brizna, brin.	anser, cris, m., ganso, oie.
35 lanifica, ae, biladora, fileuse.	74 mater gallina, clueca, poule mère.
+ tornulus, i., m., torno para hilar, rouet.	rostro terram ferire, (pabulari), picotear, pi- corer.
cannabis, is, f., cáñamo, chanvre.	suile, is, n., pocilga, porcherie.
40 cratis (dentata), f., occa, ae, grada, herse.	+ loculamentum, i., n., cavea, conejera, niche.
canis cavea, perrera.	
referri sub teclum, entrar, (guardar), rentrer.	

EXERCITATIONES

MAGISTER. — Quae vobis magis arrident,
pueri, in hac temporis verni pictura?

PETRUS. — Mihi bellulus ille pavo qui
festivus et arrogans caudam jactat.

ANTONIUS. — At mihi equulus lepide ex-
sultans caudamque agitans et vitu-
lus mammam sugens et pulli con-
quirentes pabula.

JOHANNES. — Mihi vero valde displitet
gallus ille qui intempesta nocte som-

num intercludit; sed libentissime ad
sinus lactarios accedo, ubi et buty-
rum et caseos degusto.

THOMAS. — Si meam exquiritis senten-
tiam, aperte proferam: his omnibus
delector; sed animi permotionibus
potius moveor ac recreor, cum, men-
se majo dum sol oriens omnia luce
complet, totam naturam summa vo-
luptate contempnor.

JOSEPHUS M.³ MIR, C. M. F.

Versio latina opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, editorum licentia prodit: iura proprietatis vindicantur.

DIANA

Diana et aliis vocatur nominibus: in terra erat Diana, in caelis Luna, in inferis Hecate. Cum vocibus *dies*, *diu* conjungenda est etymologia, nam Luna, ut ait Tullius, «dicta quia noctu quasi diem officiat» (*N. D.* 2, 69).

Etsi plures Diana recensentur, nihilominus tantum de Diana Apollinis sorore speciatim loquemur.

Diana apud veteres fuit filia Jovis et Latonae ante Apollinem nata in insula Delo hac de causa: quia initio rerum ante nox fuit quam dies, quibus comparate Luna et Sol praesunt.

Virginitatis amore ducta humana consortia devitasse fertur: et ad omne libidinis periculum removendum venationi maxime incumbebat, stipata nimphis quae honoris gratia eam comitabantur. Secum arcum ferebat pharetramque, semper succincta incedebat et cothurno induita. Bello gigantum Jovi praesidio fuit, illosque in tartara conjectit. Sagittis occidit Chionem, Othum et Ephialten atque alios qui eam injuriis vexaverant.

Plura memorantur templa sive in Oriente sive in Occidente; sed prae ceteris celebritate gaudet Delphorum, Patrarum in Acaja, Romae in Aventino ubi feriae celebrabantur, item in Circo Flaminio, Sagunti in Hispania et vel in ipsa Britannia. Sed praeter cetera celeberrima ac memoranda sunt templa Ponti Euxini et Dianae Ephesinae; ⁽¹⁾ quam tamen Dianam Jovis et Latonae filiam non fuisse, sed Upis et Glauces, Ephesii existimabant.

Sacrae erant Dianae silvae omnes, cervus et cerva; mensis novembris; item nemus hujusque lacus prope Ariciam. Sculptores Dianam exhibent media cum luna in fronte, pharetram in tergis portantem atque manu arcum, comitatam pluribus virginibus ac prope catellus adest.

J. M. GIRAL, C. M. E.

EPISTOLIA SOLUTA

Alfonso Ortega (Cebegini). — Quis Aloisii nostri excitaverit memoriam plane ignoro; sed PALAESTRAE pagellas cum pararem, litterae advenerunt plures, quae de ipso verba faciebant. Tibi — uti merebas — morem gessi; carmen enim tuum et epistula gratissima nobis fuerunt, teque inter conscriptores libenter adnumeramus. Quaestionem tuam, si numerum 66 p. 27-28 PALAESTRAE legeris, facile solves; ibi enim accusativum propono optimum, nec dativum improbo. — P. Rectorem salvare jubebis atque, ut scripta tua identidem mittere velit, meis verbis enixe roga.

Rdo. P. J. Bagaria (Cervariae). — Vehementer doleo; tuam accepi de Aloisio epistulam cum omnia digesta ad typographum mitterem; pauca tamen lectoribus exscripsi: «Aloisius omnibus benignus leniterque, subridens, tribus hebdomadis, patientissime acerbos capit is et febris typhicae labores non modo tulit immo adstantium anxios nitebatur animos mitescere. Post meridiem diei decimi februarii, Sacromentis munitus, rarae nimium spirationes fuit, ac viginti annos natus, ad caelum evolat.»

(1) Cfr. *Act. Apost.* 19, 23-27. Templum hoc magnificum ubi adorabatur, 127 columnis constabat, ex marmore: credum totius Asiae inicularum expensis. (PLIN, *Hist. Nat.* 37, 5, 4). Quod templum labentibus annis Deiparae Virgini est dedicatum.

Qui olet pauperem, pessime olet

CAUPO. MENDICUS CUM UXORE

MENDICUS. — Miser est homo, qui aegre
invenit, quod edat; miserior, qui,
cum esse cupit, nihil habet quod
edat; miserrimus, qui esurit cum
uxore esuriente, cui nihil possit
praestare. Et est hic canis quoque,
qui, cum ossium nihil habeat roden-
dum, prae fame mihi rodit calceos
eosque patentiores reddit. Nemo
tam est ridiculus quam cum esurit.
At est hic prope cauponula, quo
pauperiores convenientur, quasi ad
egentium refugium (*adstat ad ja-
nuam couponulae*). Heus, tu qui
es intus...

UXOR. — Ego misera vix asto prae for-
midine.

CAUPO. — Quid me vis?

MENDICUS. — Timeo ne succenseas mihi,
si a te peto, quod mihi opus est.

CAUPO. — Dic, quæeso, quid tibi opus
sit.

MENDICUS. — Esurimus.

CAUPO. — Quid vis comedere?

MENDICUS. — Quod in promptu habes.

CAUPO. — Jus gallinae vetustæ?

MENDICUS. — Ab jure me abstineo.

CAUPO. — Assam carnem?

MENDICUS. — Carne abstineo, quia po-
dagrum facit.

CAUPO. — Ostreas?

MENDICUS. — Abstineo me ostreis, quae
difficillime concoquuntur.

CAUPO. — Quid ergo?

MENDICUS. — Aquam cum sicco pane.

CAUPO. — Mihi hoc graviter dolet, quod
tibi satis facere non possum: nam
hic omnes aquam abhorrent, et sic-
co pane se abstinent. Abi, sis, ad
cauponam Solis.

MENDICUS. — (*abiens*). Qui olet paupe-
rem, pessime olet. (1)

PASQUETTI

PALAEASTRA EXERCITATORIA

DE TACITI BREVITATE

Omnia quae ad Cornelium Tacitum referuntur sic in tenebris latent ut non modo de loco ubi fuerit natus deque tempore et ortus et exitus, verum etiam de ejus praenomine magna sit inter autores controversia. Hoc vero me magis movet natum fuisse in Umbria LX anno post Christum natum, et mortuum CXX, sexagesimum annum agentem. Ejus autem praenomen *Cajus* videtur esse inter autores communius; hoc ut sequar inclinat animus. A primis unguiculis cursui honorum se totum tradidit obtinuitque nonnullas reipublicae dignitates.

Jam satis producta aetate, operibus conscribendis vacavit, ex quibus nobis existant: «*Dialogus de oratoribus*» — quem tamen non omnes Tacito tribuerant —, quo in opere magnus orator et Quintiliani auditor apparebat. «*De vita Julii Agricola*» socii ejus, opus laudatorium, «*De origine et moribus Germanorum*», cuius rem satis titulus indicat, «*Historiae*» denique et «*Annales*», opera, quae de rebus ab aliquibus imperatoribus gestis, agunt.

In operibus, in postremis praesertim, omnino suus Tacitus appetet, multasque Latini linguae affert novitates. His igitur praemissis, ad nostrum propositum veniamus.

(1) Ex opere *Roma antica da vicino*, Palermo. Sandron, p. 195.

Quoniam autem multum interest Tacitum inter et aureae aetatis scriptores, atque de omnibus suis qualitatibus disserere longum est, tantum de sua *brevitate* nonnulla dicemus, quae exemplis ab Historiis Annalibusque deductis confirmabimus.

Est enim brevitas ea stili virtus qua, omnia quae subintelligi possunt, desiderantur. In prioribus operibus Tacitus aliquantum lumina oratoria turgidumque dicendi genus est sectatus, sed in postremis, Historiis et Annalibus, ita brevitati operam dedit ut, nihil nisi quam plurima verba suppressere possit, avere videatur. Ex quo versio in linguis hodiernas quam difficillima in nonnullis locis efficitur.

Et quanquam, ac merito certe, Sallustiana brevitas tam saepissime admirationem excitavit, hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, Tacitum inter omnes in hac virtute eminere.

Modi autem praecipui quibus utitur Tacitus ut consulat brevitati, hi sunt: *ellipsis*, *asyndeton*, *zeugma*.

1) *Ellipsis*, qua, id quod in recta constructione necessarium est, supprimitur, figura est apud Tacitum usitator. Desiderantur autem: a) Verbum *esse*, quod passim accidit, in omnibus et modis et temporibus. Hoc quidem non mirum, quia etiam apud Ciceronem aliasque probatissimos scriptores evenit, sed certe apud neminem ita frequenter ut apud Tacitum. Notandum praeterea, frequentissimam evadere hanc omissionem verbi *esse* in periphrastica conjugatione et cum participiis praeterita tum futura comitatur. Accipe exempla: «Inclutum in Creta Idam montem (*esse*)». *H.* 5, 2. — «Beatos quondam (*fuisse*) duces». *A.* 11, 20. — «Si pergeret in urbem nullam officii gratiam (*fore*)». *H.* 2, 1. — «Nec illi segne aut corruptum luxu iter (*fuit*)». *H.* 2, 11. — «Ne suspecta libertas (*esset*)». *H.* 1, 85.

b) Verba opinionem exprimentia, ut: «patienda meliorum imperia (*dixit* vel *cogitavit*)». *A.* 13, 56.

c) Verba motus: «Anxia Agrippina quod nemo a filio (*veniret*)». *A.* 14, 8.

d) Alia verba: «Tumultus proximi initium non cupiditate vel odio (*ortum est*)». *H.* 1, 83.

e) Pronomina cum vocibus *invicem*, *frequenter*. «Exercitus (*se*) invicem salutasse». Cfr. *H.* 2, 47; 3, 25; *D.* 20, 16.

f) Nomina quaedam adjectivo comitata. «Odingentesimo post Romam conditam (*anno*)». *A.* 11, 11.

2) *Asyndeton* —quae vox sibi vult conjunctionum omissionem—, etiam Tacitus valde adhibuit. Quod lumen frequentissimum est in enumerationibus: «Igitur navium, militum, armorum paratu». *H.* 2, 84. In gradatione: «Parentes, liberos, fratres vilia habere». *H.* 5, 5. — In oppositione: «Lacrimas, gaudium, questus, adulacionem miscebant». *A.* 1, 7.

Nonnunquam conjunctionem adhibet, non vero more Ciceroniano: ait enim in *H.* 2, 1 «Causam... officium... et... juventam gerebat». Quod vel «causam, officium juventamque», vel «causam, officium, juventam», vel «et causam et officium et juventam», minime vero ut Tacitus, dixisset Cicero.

3) Nec *zeugma*, —quo lumine verbum quod viciniori tantum convenit ad

plura substantiva refertur—, ad brevitatem consequendam Tacitus neglectus est.
«Miseri cuncta tenebris et armis jubet» (*miseri* proprie tantum *armis* convenit).
H. 4, 29. — «Tristia exta et insidias instantes... praedicit» *H.* 1, 27.

Multa quidem alia exempla adducere possum quibus, quantopere inter omnes emineat Taciti brevitas, comprobari potest. Quod vero mihi proposueram, mea quidem sententia, satis probatum manet. ⁽¹⁾

JUSTUS LÓPEZ MELUS, *Vi C. alumnus.*

Salmanticae, apud Aspiratum Mgtrum. Avilam.

BIBLIOGRAPHIA

Bassols de Climent. — *Sintaxis histórica de la lengua latina.* Tomo 1º. Introducción. Género. Número. Casos. Barcelona. 1945.

En tibi, lector humanissime, primum volumen hujus syntaxeos historicae, sumptibus Instituti Antonii Nebrissensis recens editum. Paginis XXX, 513 constat. Typis nitidis varisque et mira quadam dispositione, excellenti charta incusum; illud commendamus, non tantum ob externas libri virtutes, sed praecipue ob ipsius rei naturam. Qui hunc librum perlegerint sive doctores, sive ephebi non poterunt quin, etiamsi omnia et singula clarorum auctorum iudicia hinc illinc collecta omnino non probent, laudent tamen opportunitatem momentumque operis, nec non illustris et carissimi professoris Universitatis Barcinonensis studium, ingenium, rerum linguarumque cognitionem.

Quem sibi auctor proposuerit finem initio operis modeste fatetur. Hoc, ait, opus ad hoc maxime tendit ut summam et prima quasi fronte conspiciantur praecipuae quaestiones, quae de syntaxi latina hic et nunc apud auctores propnuntur. Opus igitur maxime commendandum; tum quia, ob rerum perturbationes, praecipua opera quibus litterati homines usi erant ad has quaestiones

cognoscendas et evulgandas aut exulta sunt aut deperdita; tum quia nondum data est facilis inter sapientes via ut opera illa quae apud exterios bibliopolas remanent parvi adquirantur.

Sed nolo diutius opus, cum sit probatissimum, commendare. Magistri loquentur et vos ephebi qui litteras classicas in Universitate vel in ecclesiasticis lyceis colitis. Loquentur quoque juvenes oppositores, qui post longa tentamina diutinosque conatus, hoc utili instrumento adrepto victores redierint.

JOSEPIUS JIMÉNEZ, C. M. F.

S. Rodríguez Brassa, S. J. — *Stilistica latina.* «Sal Terrae», Santander, 7 pts.

Momentum Stilisticae nemo est qui ignoret ut linguam latinam apte perfecteque calleant alumni. In hoc parvo volumine praecipuae leges breviter explicantur quibus facilius scholastici classorum scriptorum mentem investigent atque rectius orationem hispanicam in latinam convertant. Quod tamen in opusculo maxime praestat exempla sunt et exercitia quibus adolescentibus via panditur ad perfectum atque classicum loquendi genus adipiscendum. His exercitiis clavis —quae dicitur— respondet, magistris utilissima.

Locutio latina optima, sed expolitor forte nonnumquam desideratur. ⁽²⁾

JOS. M. TRISTANIUS, C. M. F.

(1) Ex certamine PALAESTRAE LATINAE.

(2) In pag. 8.º l. 18 soni verte in sonos Nec facile acquirescerem illis quae in fine paginæ 9.æ. apponuntur. In Stilistica latina de orationis numero loqui oportet.

Compositiones vertendae

PRO ALUMNIS SUPERIORIBUS

II. — El dolor de un actor trágico

Histrio in Graecia fuit fama celebri,
qui gestus venuſtate et vocis claritudine
ceteris antistabat. Nomen fuisse ajunt
Polum; nobilium poētarum tragedias
scite actitavit. Is unice amatum filium
morte amisit. Eum luſtum quoniam satis
visus est eluxisse, rediit ad quaestum
artis et Athenis Electram¹ in Sophocleā
fabula egit. Ita compositum fabulae ar-
gumentum est, ut veluti Oresti fratris
reliquias ferens² Electra comploret com-
misereaturque interitum ejus. Igitur
Polus, lugubri habitu Electrae indutus,
ossa atque urnam e sepulcro tulit filii
et, quasi Oresti³ amplexus, opplevit
omnia luctu atque lamentis veris et spi-
rantibus. Ita cum agi fabula videretur,
dolor actus est.

NOTAS: 1. Electra es el personaje central de la tragedia de Sófocles, que lleva el mismo título. En ella Electra, junto con su hermano Orestes (a quien primero creyó muerto), mata a su madre Clitemnestra y a su amante Egisto, que habían asesinado a Agamenón, padre de los dos primeros. Advírtase que en el teatro griego los papeles de mujer

eran representados por hombres. — 2. Para no despertar sospechas. Orestes hace circular la especie de que ha muerto y lleva a Micenas las cenizas del hermano de Electra. Esta lo cree también y, tomando en sus manos la urna funeraria, llora la muerte de su hermano querido, quien, ya seguro de Electra, le descubre la verdad, para tramar de consuno la venganza. — 3. *Oresti* es determinativo de *ossa atque urnam* en elipsis.

2. — Un sarcasmo de Timón

Subió Timón cierto día a la tribuna para pronunciar un discurso. Callaron todos los presentes, pensando que iba a decir algo importante, pues eran muy raras las veces que se prestaba a perorar¹ y dijo: «Atenienses. detrás de mi casa hay un huertecillo y en él una higuera, en cuyas ramas se han ahorcado ya muchos. He pensado edificar² en ese terreno y por eso me ha parecido bien anunciarlo en público, para que, si hay alguno más que quiera ahorcarse, se apresure a hacerlo, antes de que corten el árbol».

NOTAS: 1. *contionari*. — 2. *structuram ponere*.

PRO ALUMNIS MEDIIS

*II. — Retrato de Julio César

Caesar fuisse traditur excelsa statu-
ra, colore candido, teretibus membris,
ore paulo pleniore, nigris vegetisque
oculis, valetudine prospera; nisi quod
extremo¹ tempore animo linqui atque
etiam per somnum exterreri solebat. Co-

mitiali quoque morbo² bis inter res
agendas correptus est. Circa corporis
curam morosior, non solum tondebatur
diligenter ac radebatur, sed vellebatur³
etiam, ut quidam exprobraverunt: calvi-
tii vero deformitatem iniquissime fere-
bat, saepe obtrectatorum jocis obnoxius.

Ideoque et deficientem capillum revocare⁴ a vertice⁵ assueverat et, ex omnibus decretis sibi a senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam jus laureae coronae perpetuo gestandae. Lautitiarum studiosissimus, villam in Nemorensi⁶ a fundamentis inchoatam magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruit.

NOTAS: 1. sobreent. *ritae*. — 2. *morbus comitialis* s. *caducus*, epilepsia. — 3. *velli*, depilarse. — 4. para disimular la calvicie. — 5. la parte más elevada de la cabeza, la coronilla. — 6. en el territorio de (los bosques de) Ariccia.

*2. — Ingenio de Aristipo

Como en cierta ocasión intercediera¹ por un amigo ante el rey Dionisio y éste no quisiera hacerle caso,² Aristipo se arrojó a los pies del Rey y comenzó a abrazárselos y a besárselos, hasta que consiguió lo que pedía. Como algunos le recriminaran³ este hecho, respondió: «La culpa no la tengo yo⁴ sino Dionisio, que tiene los oídos en los pies».

NOTAS: 1. *alqem. pro alqo. interpellare*. — 2. hacer caso, *preces admittere*. — 3. *reprehendere*. — 4. tener la culpa, *in culpa esse*.

MONITUM

Compositiones mitti debent ad Aduarium vel Moderatorem ante diem pridie Kalendas Junias.

Qui ex quattuor hisce compositionibus unam optime perscripserit, munere accipiet libellum cui titulus latine LIVII HISTORIÆ SELECTÆ, hispanice vero VIÑETAS HISTÓRICAS DE TITO LIVIO.

Omnes igitur in PALAESTRAM, pueri!

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA
LOS MEJORES DEL MUNDO


Marca de la Casa: Escudo de la Virgen del Carmen

No busque otros. Los mejores del mundo

CHOCOLATES ORÚS - ZARAGOZA

CURIOSA ET JOCOSA

144 — CRUCIGRAMMA



IN TRANSVERSU: 1. Littera vocalis — 2. Sponsor. — 3. Incrudescis. — 4. Oblongus Dea venatrix — 5. Insula in Aegeo mari. Consonans. (Litteris versis). suave, molle — 6. (Litteris versis), non infirmi. Conjunction adversativa. Adverbium temporis. — 7. Negotium. Nomen viri. Satis. — 8. (Lit. vers.), nota musices. Salamandra. Adverbium negationis. — 9. (Lit. vers.) Adverbium quantitatis. Nomen feminae. Ut. — 10. Negotium (dat.) Si vis. Merum (dat. litt. vers.). — 11 Pronomen. Consonans. Ale. (litt. vers.). — 12 Adhibeo. Litterae verbī iterari. — 13. Servos liberare. — 14. (Lit. vers.) Unicus (dat.).

AD PERPENDICULUM: A. Venire. — B. Quod ad viam attinet. — C. Interfici, Ostrea. — D. Avis. Consonans (lit. vers) Cogniti. — E Negotium. Adverbium (litt. ver). Ure. — F. Sponsor. Caedis. Contractio usitatissima — G. (Litt. ver) heu! Relinquis. Praepositio. — H. Conjunction adversativa. Firmus (abl. pl.) Pronomen. — I. (Litt. ver.) His. Erectus. Esto. Dixit. — J Cuidam ani-

mali. Vocalis littera, Mortuus sum. — K. Intres. Junget. — L Urbs Hispaniae, provinciae caput. (Genit.) — M. Litt. ver.) Ambulet.

145 — FAMIS LUPINA

Homo quidam esuriens, capellam pascentem in prato aspicens, dixit: Ultimam lupus essem!

146. — Cur aliqui homines capillos servant intonsos sedulamque comae operam dant?

— Ah! ne e capite subsiliat cerebrum.

EMMANUEL PELÁEZ GONZÁLEZ

Alumnus primi Curriculi amplioris Latinitatis in Seminario Vallis-Dei in Asturia.

147 — IN SCHOLA

MAGISTER. — Candide, «ovum», cuiusnam generis est?

CANDIDUS — Nondum scitur.

MAGISTER — Quomodo, nondum scitur?

CANDIDUS. — Haudquaquam. Magister; si enim, fracto ovo, exit gallus, masculum est; sin autem gallina, femineum.

ISIDORUS GARCIA, C. M. P.

Barbastri

148 — IN VIA

VENDITOR. — Domina, Dominal Visne subuculam emere, fasciam, subcinculum viro tuo?

DOMINA. — Si mihi plus molestiae affers, custodem voco

VENDITOR — Profecto, en tibi sibilum vendo ut custodem voces.

GEORGIUS CATALA, C. M. P.

Barbastri.